



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quomodò opera nos iustificent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

CAP. XI.
ARGUMENTA.

1. *Quomodo opera nos iustificant.*
2. *Quomodo placant Deum.*
3. *Quomodo satisfaciunt, & in quem finem hæc tria Ecclesia tribuit operibus.*



Criptura loquitur dupliciter de iustificatione: Primò, prout peccator acceptatur pro iusto coram Deo, & peccata remittuntur: nam solus Deus est qui iustificat, & de immundo facit mundum: Iob.14.

ideo opus solius DEI est, iustificare peccatorem, non angeli, neque hominis. Facit autem Deus hoc gratis per medium fidei, ita quòd non respicit præcedentia merita vel demerita, sed gratis ex misericordia propter Christum. Sic Romanorum 3. & Galat. 3. inquit Apostolus: Arbitramur hominem iustificari fide absque operibus legis. Actor 15. Fide purificans corda. Sed illa fide iustificatur homo, qua dolet de peccatis & cessat, & petit veniam propter Christum: non autem illa fides, quæ est sine pœnitentia, neque cessat peccare: talis non consequitur misericordiam, neque iustificat: ideo illa particula, gratis, non excludit pœnitentiam, sacramenta, fidem, bona opera, sed totam causam iustificationis transfert in CHRISTVM, in misericordiam Dei, vt promissio sit certa, Romanorum quarto.

Est ergò iustificatio opus extra nos, vbi nos non operamur, sed tantùm patimur & accipimus. Sicut terra pluuiam non gignit, nec vlllo opere suo aut viribus acquirere potest, sed tantùm cœlesti dono de super recipit. Sic per gratuitam imputationem propter Christum, qui meruit nobis hæc imputationem nostrâ, gratis iustificamur: vt quanuis pœnitentia & fides

fides in nobis exigantur vt accipiant, nō tamen sunt causa iustificationis, sed gratuita DE I misericordia propter Christum: non igitur consistit in merito nostro. Altero modo loquitur Scriptura de iustificatione, prout à nobis fit virtute primæ iustificationis, quæ est fructus atque testis, quòd verè apprehendimus iustitiam. Et de illa loquitur Apostolus Iacobus 2. quòd fides Abraham operibus est consummata, & Abraham operibus iustificatus est, offerens filium suum Isaac, Gen. 22. Et sic ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum. Operibus enim sequentibus fidem, ostenditur, quòd vera & perfecta sit iustitia accepta, quæ opera si non sequuntur, signum est quòd hæc fides vel iustificatio non sit consummata & completa. Sic Raab meretrix ex operibus est iustificata, Iosue 2. Vt ergò corpus sinè spiritu mortuum est, sic Fides sine operibus. Et quoniam maior pars iactat fidē, non tamen habet opera: ideò quoties docetur, quoniam opera iustificāt, de illis operibus intelligendum est, quæ sequi debent iustificationem & fidem, quæ ostendunt integram & viuam esse iustificationem, non vt iustificent, sicut nos DEVS gratis, imputatiuè, ex misericordia propter fidē in Christum, primò & initialiter iustificat. Terra, accepto imbri desupèr, fructificat: sin autem, signum est malitiæ & sterilitatis: restantur autem opera iustificationem, & augmentant in nobis, sicut docet Apostolus Philip. 2. vt charitas abundet magis, id est, accepta à Deo charitas, per nostrū vsum & exercitium debet abundare. Sic primæ Thessal quarto: Sic ambuletis, vt abundetis magis. 2. Corinth. 9. Vt abundetis in omne opus bonum. Et iterum: Potens est DEVS omnem gratiam abundare facere in vobis. Et secunde Petri tertio: Crescite in gratia & cognitione saluatoris nostri Iesu Christi. Sic enim docent Patres, quod sola illa sterilis fides non sufficiat ad iustifi-

iustificationem, sed opera quoque exiguntur, ut plena sit & consummata fides. Et hanc iustitiam ubique docet Scriptura, quæ sequi debet primam. 2. Petri 2. Cuius liuore sanati sumus, ut nunc iustitiæ viuamus &c. Seruus gratis acceptatur à Domino, & operibus præcedentibus non meruit: sed tamen nunc debet operari susceptus.

Quòd opera placant iram Dei, cum distinctione docet Ecclesia. Est enim ira DEI, qua punit æternaliter scilicet incredulos, Ioannis vii. Si non creditis quia ego sum, in peccatis vestris moriemini. A tali igitur ira Deus non placatur, nisi per fidem in Iesum Christum: nam dedit Filium, ut omnis qui credit in illum, non pereat: qui ergò non credit, iam iudicatus est, Ioannis tertio. Nullum ergò opus hominis placat Deum ab æterna illa ira, nisi fides in Christum.

Est quoquè alia ira Dei, qua in presenti punit peccatores credulos, quorum pœnitentiæ opera placant & mitigant iram Dei à pœna, quam statuit infligere Deus. Sic enim Niniuitarum opera placabant Deum Ionæ tertio. Sic humiliatio Dauid & oratio placauit Deum, ut cessaret pestilentia, 2. Reg. 24. Sic eleëmofyna Nabuchodonosor Regis placauit Deum, ut mitigaret illius pœnam, Daniel. 4. A temporaria igitur pœna, belli, pestilentie, famis ac aliarum infirmitatum, quibus Deus nos aliquandò visitat, & peccata nostra punit, hæc ira potest placari operibus pœnitentiæ, id est, temporaria pœna. Sed quoad iram & punitionem æternam, nullum opus Deum placare potest præter vnicum Domini nostri Iesu Christi, placatur DEVS à pœna æterna: sed opera fidelium placant Deum, quoad pœnam temporariã, pro peccatis promeritã ex misericordia & gratia, non dignitate.

De satisfatione, quatenus opera bona pro peccatis satisfaciant, sic cù distinctione docetur: habentur in peccato duo, offensio Dei, deindè iusta correctio, quam

quam